

anno atque mense et translatio est sancti Dyonisii et obitus cesaris Arnolfi. Cum ergo teneamus translationis huius annum centesimum quinquagesimum, attendamus quoque, quantum Deo donante possimus, quid misterii salutaris numerus contineat talis. Quia enim, ut scriptum est, nichil in terra sit sine causa¹, credi oportet, hunc etiam annorum numerum tam perfectum aliquam nobis miseris sancti Emmerammi cenobitis et ex intimorum et extraneorum hostium afflictione per annos multos iam contritis causam^a salutis exprimere. Intimos autem eos appello, qui nos interius, id est^b spiritualiter vel intra nos positi seu etiam quicumque eiusdem propositi homines hostilitate aliqua nos impugnant, extraneos^c vero, qui in aliena, hoc est in seculari^d vita degentes exterioris hominis subsidia necessaria auferre satagunt. Haec autem de presenti sancti Dyonisii anno sunt notata.

12. Quid autem ex hoc possumus sentire, quod lapides prescripti in^e tam inopinato loco tamque antiquo muro occultati et per tempora tanta minime ex eiusdem muri destructione investigati in anno quoque hoc tam proxime post sancti patroni nostri natalicia studiose celebrata sunt inventi? Sed michi videtur credibilius nutu dumtaxat divino pro corporis tanto thesauro haecenus occultato et super negligentia posito nunc autem revelando, eosdem lapides subito et factos et prolatos esse. Si enim ex industria humana descripti olim et in muro absconditi dicantur, quomodo convenit, ut homo quilibet fidelis rem tantam atque^f veneratione maxima dignam^g forte occultare potius quam monstrare conaretur, praesertim cum ille nesciret, si destructo quandoque muro eosdem lapides homo aliquis inveniret, nisi forte spiritu prophetiae plenus hic quod^h futurum erat ipse quoque presciverat. Quod videlicet, si ita est, nichilominus dico nutu factum divino. Quamvis autem iuxta pravitatis meae intellectum dixerim, neutrum tamen horum affirmareⁱ presumo, sed occulto Dei iudicio relinquens hoc solummodo affirmare queo, quia, sicut legitur in ewangelio, discipulis duobus euntibus ad castellum Emaus evenisse, ut dominus Iesus corporaliter loqueretur cum eis², tamen, quia de illius resurrectione adhuc diffidebant et laudibus dignis minus recolebant, non est agnitus ab eis, postquam vero eum in hospitalitatis devotione utcumque exquirere ceperunt, presentiam ipsius agnoscere citius meruerunt: ita quoque nobis aliquatenus accidisse videtur. Nam cum sancti Dyonisii corpus tam patres^k nostri quam nos ex antiquorum

a) causa c. b) idem c. c) extranes c. d) secularii c. e) vitam c.
f) quo c. g) digna c. h) quot c. i) queo quia sicut legitur in
ewangelio *hinzugefügt, dann getilgt* c. k) partes, *später corr.* patres c.

1) Vgl. Iob. 5, 6. 2) Vgl. Luc. 24.